



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 6. Cura & sollicitudo in diuitijs retinendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

§. VI.

Cura & sollicitudo in diuitijs retinendis.

Durus cortex est nucis, sed eum ubi fregeris, dulcem nucleum reperiēs. An tales sunt diuitiæ? nequaquam: cum labore, & plerumque non sine scelere acquiruntur; cum sollicitudine, & rarò sine iniquitate, possidentur; cum dolore, & saepe etiam desperatione amittuntur. Quanta sit sollicitudo opes partas seruandi, testatur Horatius ita canens:

Crescentem sequitur cura pecuniam.

Ostendit in Euclione Plautus. Quantis ille senex curis & intemperijs ollam auro factam, de loco in locum identidem transfert? quàm latebram nullam satis tutam putat? quantum oculos emissitios, vel in lusca & semicæca anumetuit? Nec sunt pauci eiusmodi Eucliones, qui thesauros defodiunt, aut tres fores opponunt, quinque seras appendunt. Nota fuit & Propertio hæc querela. Ita enim interitum cuiusdam deflet.

Ergo sollicita tu caussa pecunia vita es?

Per te immaturum mortis adimus iter?

Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes,

Semina curarum de capite orta tuo.

Horat.
lib. 3.
carm. od.
14.
Plaut. in
Aulul.

Propert.
l. 3. eleg.
6.

Curæ hæ nonnè totius ferè vitæ tempus insumunt? neque enim cessant, opibus accumulatis, sed semper durant, immò semper crescunt, quantum ipsa pecunia crescit.

Isa. 2, 7.

Repleta est terra auro, & argento dixit Isaias, cum de diuitijs loqueretur. Cur dixit, terra? cur non dixit, repleti sunt homines auro & argento? Nempe fieri potest, arcas & domos hominum plenas esse diuitijs; homines verò auaros repleri, tametsi semper afferas, fieri non potest. Quàm diu autem cupiditas manet, tam diu manet sollicitudo. Quam ob rem rectè Plato auarorum corda vasi rimoso comparauit: vt enim vas confractum repleri nequit, etsi vtrumque mare in illud infundas; ita cor cupidi numquam potest diuitijs impleri, quamuis omnes auri argentiq; venas exhaurias. Talia finxerunt Poëta Danaidum dolia, fundo carentia, quæ casto labore noctes diesque, aquas acciperent, numquam implerentur. Tormenti hoc genus est, & in vanum laborare; accendunt enim sitim isti, non extinguunt, & velut

Cic. Paradoxo ult.

in sacculum pertusum mittunt. *Improbi & auari*, inquit Cicero, *quoniam incertas, & in casu positas possessiones habent, & plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inuentus est.*

est, cui quod haberet, esset satis; non modò non copiosi ac diuites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.

An vigilare metu exanimem, noctesq;, diesq;
Formidare malos fures, incendia, seruos,
Ne te compilent, fugientes: hoc inuat? horũ
Semper ego optârims pauperimus esse bono-
rum. &c:

Horat:
lib. I. Sat.
tyr. I.

Denique sit finis quarendi, cumq;, habeas
plus,

Pauperiem metuas minùs, & finire laborem
Incipias, parto quod auebas: nec facias, quod
Aufidius quidam, non longa est fabula, dives,
Ut metiretur nummos: ita sordidus, ut se
Non umquam seruo meliùs vestiret: ad usq;
Supremum tempus, ne se penuria victũs
Opprimeret, metuebat, at hunc liberta securi
Diuisit medium, fortissima Tyndaridarum.

§. VII.

Quàm miseros faciat pecunia habentes?

Manet ergo sollicitudo, & miseria, etiam post opes adeptas, immò augetur. Neque sollicitudo tantùm, sed ea est natura diuitiarum, vt vel malos sequantur, vel faciant, si probos inuenerint. Aristotelis problema extat, quo quærit: Quĩ fiat, vt paupertas, apud probos viros, plerumq; versetur? red-